



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ordinis || Praemon-||stratensis || Chronicon

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1613

Elenchvs Coenobiorvm Ord. Praemonstratensis In Belgio, seu Germania inferiore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64313)

E L E N C H V S

COENOBIORVM ORD. PRAE-
MONSTRATENSIS IN BEL-
gio, seu Germania inferiore.



OST *Præmonstratense* & *S. Mar-*
tini Laudunense monasteria,
tertium vniuersa inter Ord.
Norbertini cœnobia, obtinet

locum *Floressia*, ad *Sabim fl.* in Comitatu
& diœcesi *Namurcensi* sita. Hunc locum
monasterio exædificando *S. Norbertus* à
Godefrido Comite Namurcensi accepit
an. 1121. in festo *Conuersionis D. Pauli*.

Monasterij *S. Iudoci in Nemore* primus
Abbas an. 1121. creatus est *B. Milo*, qui post
Taruanensis seu *Morinensis* Episcopus fuit.
Hoc in loco *Præmonstratense* institutum
florere cœpit an. 1120. vt habent eiusdem
cœnobij monumenta. Vocatur autem ho-
die monasterium hoc *Dom-Martinensis Ab-*
batia: apud *Hesdinium* opidum in finibus
Artesia sita.

S. Nicolai Monasterium, ad muros *Fur-*
nenfis in *Flandria* opidi, an. 1119. cõditum
volunt *Meyerus* & *Marchantius*. Ego ad
an. 1120. aut 1121. id malim referre.

Ecclesiam S. Michaelis Canonici *Antuer-*

piensis in Hannonia opidi, vulgò *Reulx* nuncupati, fundatur anno circiter 1126.

Grimberganum monasterium, quod Canonorum Regularium Ord. S. AUGUSTINI. fuerat, à Toparchis Grimberganis fundatum, ab eisdem Præmonstratani instituti Religionis an 1128. incolendum traditur. Distat secundo ferè à Bruxella miliari, dimidio autem à Vilvordia.

Circa annum 1127. aut 1128. Godebaldus Episcopus Ultraiectinus in *Middelburgensi* monasterio, Canonicis Regularibus amotis, Præmonstratanos, ex Antuerpiano D. MICHAELIS cœnobio euocatos, collocavit. Est autem *Middelburgum* Zelandiæ metropolis, sita in Valachria, Zelandicarum insularum maximâ.

Anno circiter 1128. monasterium *Insulae B. MARIAE* fundatur ab Hermanno Comite seu Toparcha Cuiquesi, vulgò *Cuyck*.

Parcense monasterium, haud longè à muris Urbis Louaniensis, fundatum est à Godofrido Barbato Duce Lotharingæ, & Comite Louaniensi; qui locum feris siluestribus, animi causa, alendis destinatum (quem Latini Viuarium, Belgæ Parcum nominant) in meliores usus convertens, eundem Gualtero Abbati S. Martini Laudunensis, ad monasterium ibidem exædificandum an. 1129 tradidit.

Bona Spei monasterium, apud Binchium Hannoniæ opidum, fundatur anno circiter 1129. à Guilielmo Reginaldi Equitis nobilissimi filio, qui Præmonstratense institutum post ibidem est amplexus.

Helichsimense monasterium, sesquimilliarium à Thenis Brabantiae opido situm, fundatur an. circiter 1131.

Auerbodium, dimidio milliarium à Sichenis Brabantiae opido distans. an. circiter. 1133 ab Arnolde Comite Loffensi, eiusque filio Ludouico ædificatur; Religiosis Antuerpia ex D. *Michaelis* monasterio euocatis.

Tungerloa, à veteribus Tungris Huiusce tractus incolis nomen retinens, conditur an. 1134. Religiosis ex eodem D. *Michaelis* monasterio accitis. Est cœnobium longè elegantissimum, quodq; ædificiorum amplitudine opidi instar excellit, tertio ferè milliarium ab Arschoto Brabantiae opido, Ducali Croianæ familiæ titulo illustri, situm.

Bernense monasterium fundatum est an. 1134. à Folcoldo Teisterbandiæ Comite. Est autem *Berna* ad Mosam fl. sita secundo lapide à Silua Ducis Brabantiae opido.

Niniuense SS. Gornelij & Cypriani monasterium fundatum est an. 1137. à Gerardo Comite Stabuli seu Magistro Equitum

Flan.

Fládræ, qui ibidem post mortem vxoris, monasticæ disciplinæ se tradidit. Est verò Niniue opidum Flandriæ (vulgò Ninouia vocamus,) Ioannis Despauterij celeberrimi Grammatici patria.

In *Trunciniensi* monasterio, quod olim Clericorum in communi viuientium fuerat, Præmonstratenses ab Ivvano Comite Alostano constituuntur an. 1137. Est verò *Truncinium*, vernaculè *Drongen*, milliari vno à Gandauo ad Lizam fl. situm.

Iettense monasterium, quod *Diligemium* hodie nuncupant, primo à Bruxella lapide, in pago *Iette*, fundatur an. 1140. Fratribus *Truncinio* euocatis. Sunt itaque præter *Postulam*, septem Abbatia virorum monasteria in Brabantia, *Antuerpiense*, *Grimberganum*, *Parcense*, *Helichsimense*, *Auerbodiense*, *Tungerloanum* & *Diligemense*.

Leffiam primò virgines moniales, post Canonici seculares incoluerunt. Anno autem 1152. à Gerlâdo III. Abbate Floreffienfi Præmonstratenses *Leffia* sunt collocati, qui annos 48. Floreffiensibus subfuerunt. Anno verò 1200. Ioannes V. Abbas Floreffiensis proprium *Leffiensibus* Abbatem dedit *VVericum* Canonicum Floreffiensem. Est autem *Leffia*, vulgò *Leffia*, sita apud *Dionantū* Leodicensis ditionis opidū.

In

In *Castello S. Martini* (vulgò *Chasteau l'Abbaye*) ad Scarpum fl. apud Mortaniam, secundo à Tornaco milliari, Præmonstratenses an. 1155. collocantur. Incoluerant hunc locum antea alij, seu benedictini seu Canonici seculares.

Anno 1163. monasterium *Horti B. Mariae*, in pago Hallumensi, sesqui milliari à Leovardia, Frisïæ Occidentalis metropoli, situm, fundatur à B. Frederico eius loci Pæroeco, & primo postmodum Abbate.

S. Bonifacij monasterium in Dockum Frisïæ occidentalis opido ad tumulum S. Bonifacij Moguntinensis & Ultraiectensis Episcopi, Germaniæque Apostoli (qui eo loci martyrio coronatus est an. 752.) fundatum est circa an. 1170.

Sibodus vir diues *Lidlumense* monasterium an. 1182. haud longè à littore maris construxit; quod inde in locum à mari remotiorem an. 1234. Sibodus Abbas V. tràstulit. Estque hodie situm apud Franikerā Frisïæ Occidentalis oppidum. Hactenus de Abbaticis virorum monasterijs.

Postula celeberrimum hospitale, vt vocant, seu viatorum receptaculum, in medijs Campaniæ Brabanticæ ericetis locisq; desertis situm, cui Floreffenses Religiosi præsunt. Primus huius loci fundator fuit

Fastra-

Faltradus Vtrvichtius V. N. qui prædij sui Postulani partem Florensiensibus an. 1173. dono dedit, habitumque Religionis post etiam adsumpsit.

Floret & Louanij Collegium Præmô-stratense ingenijs atque alumnis, quod anno 1571. cœpit exurgere.

His virorū monasterijs libet & Virginitū illustriora subnectere. *Bethlehem* Frisiz Occidentalis monasterium, haud longè ab Amisia si exstruitur an. 1170. à B. Frederico Horti B. Mariæ fundatore.

Vansia, vulgo *VVanze*, in agro Leodicensi fundatur an. circiter 1174.

Baiom seu *Baiomense* monasteriū, in Frisia Occidentali exstruitur anno 1186. siue ut alijs placet 1188.

Gempensi monasterio, quod & *Insula Ducis* nuncupatur, an. 1219. initium dedit Keinerus ab Vdechim V. N. Fuit hoc monasterium primò situm Pellenbergæ, qui pagus miliari vno à Louanio distat, indeq; ad pagū *Gēpe*, inter Louanium & Distemium Brabantiz opida situm, translatum est, an. 1225.

Nemus Casareum, illustre nobilium virginum monasterium, apud Rurimundam Geldriz urbem fundatur anno circiter 1225.

Vallis Liliorum in agro Machliniensi ex-
struitur circa an. 1231.

Coningsfeldia, Latine *Regius Campus*, cele-
bre nobilium virginum in Batavia cœno-
bium, à Richarda, Guilielmi II. Hollandie
Zeladiæq; Comitis & Rom. Regis sorore,
an. ferè 1255. exstruitur, ad muros opidi
Delfensis.

Hortus conclusus B. Mariae in Herentalen-
si apud Brabantos opido, an. 1411 fundatus
est à N. V. Arnolde Crayenhemio, Topar-
cha in Grobbendonck, Ouyven Bauvvel
&c. eiusq; coniuge Elisabetha Steiuortia.

Sunt insuper in ditone Leodicensi
Hinsberga. in diœcesi Rurimundensi *S. Ger-
laci* monasterium, quod est nobilium vir-
ginum secundo ferè à Traiecto ad Mosam
miliari situm; in opido Bredano *Monaste-
rium vetus* cognomento; in Valachriâ Ze-
landiæ insula *Vallis Dulcis*; in

Frisia *S. Nicolai*, in Merna

Monasterium, & a-
lia alibi.

